

subirent, harpagonibus, manicis ferreis, falcibus longis 1474
 hastis præfixis partem militum instruit, præmissis qui
 pluteis testudineque sequentem militem protegerent. Jani-
 zaros scuto & ense armatos subsequi jubet; his sagittario-
 rum vim ingentem subjicit, qui telorum multitudine pro-
 pugnatores conficerent; atque ita acie instructa, sub lucem
 oppidum oppugnatione adoritur. Scodrenses & ipsi ad
 summovendos hostes se pararant. Erant in oppido vasa vi-
 minea, fimo bubulo oblita, quibus oppidani frumenta ser-
 vare consueverant: ea pice, stipula, sulphure complerant,
 in subeuntem hostem incensâ demissuri. Saxa ad hæc in-
 gentia per munitiones disposuerant, refererantque æneas
 machinas parvis lapidibus, ut plures uno ictu lapides ex-
 cussi majorem hosti cladem afferrent. Quibus in hunc mo-
 dum paratis, taciti, quousque barbarus munitiones sub-
 iret, expectarunt. Ille (ut mos gentis est) ingenti cla-
 more edito, oppidum corona cingit, perque murorum
 ruinas munitiones subire conatur. Tum oppidani constan-
 ti animo venientem hostem excipiunt, exceptum desuper
 telorum multitudine pene obruunt: viminea vasa ardentia
 in confertos hostes devolvunt, quæ pestis erat illis maxi-
 me inevitabilis; densissimo enim agmine operta erant mon-
 tis latera: orbiculata vasa per declivia montis dejecta, sub-
 euntes cuneos adurebant: saxa præterea grandia in subje-
 ctos hostes devoluta, sædissimam edebant stragem: lapi-
 des machinis in murum excussi, catervas hostium uno fe-
 re tempore prosternebant. Verum illi per cadaverum acer-
 vos, ferarum more ruentes, intrepide munitiones subi-
 bant. Contra Scodrenses saxa, ignem, hastas ingerentes,
 hostem affligunt, a murisque & munitionibus summo-
 vent. Lauretanus interim nullo deerat loco: circumeundo
 cuncta prospiciebat: sicubi rariores pugnabant, faucios aut
 fessos videbat, integros summittere: orare ad hæc, obtesta-
 rique per egregiam ipsorum erga Venetum imperium fidem,
 a quo magna defensi oppidi præmia laturos essent, ut suæ
 virtutis memores, patriam, liberos, conjuges, sacra &
 profana a crudelissimo hoste defenderent. Nec Solimanus

*Scodrensum
obfessum
fortitudo.*

in-